

Judaei, v. 17. qua gloriabantur, v. 23. quae λογιστῆς θεῶν continebat, c. III, 2. Vnde apparet a) quod vox ἀγνοῶν v. 4. non significet malitiosam ignorantiam, sed potius notitiam, quod partim comma 18. partim interrogatio orationis negatiua, quae affirmare solet, euincit. b) quod vox πέποιθας, non vanam Iudaeorum iactantiam, vt significet, *tibi persuades*, sed confidentiam denotet, quam Paulus non improbat, quod iterum & frequens vocabuli significatio Matth. XXVII, 43. Ebr. VI, 9. &c. suadet, & B. D. SCHMIDIVS iam dudum ad h. l. probauit. c) Iudaeos fuisse duces coecorum, & lumen, in tenebris constitutorum, non iterum ex iactantia tantum, quasi in rei veritate fuerint *coeci duces coecorum, aut tenebricosum lumen*, sed ex vero.

§. III. Neque tamen fas erit, inde colligere, dari *coecam illuminationem*, quia coeci appellantur, nisi quis veritatem regularum de contradictione sollicitare velit. Nam verum est, unum eundemque & vera docere, & falsa, quis vero inde colliget, eius veritatem esse falsam? Illud autem cum sanctitate Seruatoris conciliari non potest, quando D. LYSIVS *in Syn.* p. 402. scribere non dubitauit: Pharisei erant audiendi, *non, quia erant illuminati, sed, quia erant coeci, & coecorum duces.* Coecus enim coecum si ducat, ambo cadunt in foueam, Matth. XV, 14. Perniciem itaque, non incolumitatem ouium suarum Christus quaesiuisset. Coeci vtique erant duces, sed in traditionibus. Et ne quid ad mensuram eius pietatis desit: *Hinc, inquit, facile concedemus, impios hodiernos Theologos, pro more maiorum suorum (Phariseos intelligit) esse illuminatos, id est, spiritualiter coecos.* Legem autem divinam lucernam, cum eodem, appellare, quam Pharisei in manu gerebant, & de cuius luce ipsi nihil videbant, est non modo rei familiari contrarium, sed & in efficaciam verbi Dei iniurium. Qui enim coecus est, lucernam in manu non gerit, nam nullum eius habet usum. Si autem videre potest, amens foret,
 si in